

nem hodiernae Dalmatiae, extra dubium est tamen cum ipsorum adventu, clero et episcopis fugam capientibus, minus pastorale totius populi quasi solis Franciscanis hujus Vicariae Bosnae remansisse.

Post Bosnae a. 1463 et Hercegovinae a. 1482 expugnationem, Turcae pedetentim usque ad a. 1538 potiuntur omnibus regionibus Dalmatiae a Zrmanja usque ad possessiones reipublicae Ragusae (Dubrovnik),<sup>6</sup> relictis Venetis solummodo civitate Novigrad cum vicinis, Jadera et Sebenico cum vicinis, Tragurio, Spalato et Almissa, id est circa 700 km<sup>2</sup> superficie,<sup>7</sup> cui in bello cretensi (1646—1669) ad junxerunt acquisitam litoralem partem a Novigrad usque ad Almissam, quam vocaverunt nomine »aquisti vecchio«.<sup>8</sup> Clerus saecularis cum episcopis et non parvo numero populi aufugerat in insulas vel munitas civitates in litore mari. Franciscani vero provinciae Bosnae Argentinae, ne populus adhuc in illis terris relictus etiam sine spirituali gubernio remaneret, sicut prius in Bosna, sic nunc in Dalmatia othomana curam pastoralem populi suscepit. Fece- runt hoc virtute diplomatum Romanorum Pontificum<sup>9</sup> et ex ipsa commendatione Ordinariorum, qui, relicto grege, exulare debuerant e propriis dioecesis. Episcopus dum- nensis Vitus de Ruschis,<sup>10</sup> cui commissa fuit etiam dioecesis makarskensis atque ex parte Chelmensis,<sup>11</sup> ac insuper erat vicarius generalis archiepiscopi spalatensis,<sup>12</sup> gregem suae dioecesis commendavit fratribus custodiae dum-

<sup>6</sup> Srkulj, Hrvatska povijest u devetnaest karata, 68; Klaic, Povijest Hrvata, sv. II, dio 3, Zagreb 1904, 40 ss; 133—134; 320 ss; 324—326; sv. III, dio 1, 116—118. Zlatović, o. c. 42.

<sup>7</sup> Srkulj, o. c. 68, cum respectiva carta geographica n. 16.

<sup>8</sup> Acquisitum territorium vocatum fuit »aquisti vecchio«, ut distingueretur ab illis territoriis quae postea tempore belli viennensis et post ipsum eadem Res publica acquisivit. Ibidem, 68.

<sup>9</sup> Vide supra p. 36ss.

<sup>10</sup> Nominatus in episcopum a. 1489. De hoc episcopo cfr. Mandić D., Duvanjska biskupija, 30ss.

<sup>11</sup> Circa a. 1495 commissa fuit ei et cura dioecesis makarskensis atque pars dioecesis stagnensis quae Turcis parebat. Mandić, o. c. 32—33; Farlati, IV, 178.

<sup>12</sup> Ibidem, 31—32; Farlati, IV, 178.